

כ'עה:
למד הורג והוקם:

Hoc est,

*DISSERTATIO PHILOLOGICA,
AD LOCUM DIFFICILLIMUM*

GEN. IV. 23, 24.

DE

LEMECHO HOMICIDA

EJUSQUE

VINDICTA,

QVAM

PRAESIDE

JOH. JOACH. SCHRÖDERO,

Hist. Eccl. Antiqq. Jud. & Lingg. S. atque Orient.

Prof. Ord. Academiae Bibliothecario,

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO,

Ad diem XXX. Augusti MDCCXXI.

Horis solitis

Placido Doctiss. Dnm. COMMILITONUM Examini

submittit

JOHANNES MÜLLERUS,

Treysà Hassus.

MARBURGI CATTORUM.

Typis, PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr. 3.

Coll. diss. A
108, 37

6.
a. CVIII. 37.

V I R O

Plurimum Reverendo, pietatis ac eruditionis famâ clarissimo,

D O M I N O

JOH. BALTHAS. KUCHENBECKER,

*SS. Theol. D. Ecclesiae, quæ Treysæ Christo colligitur, Pastori
Primario, vicinaq; Diœceseos Metropolitano longe dignissimo,
vigilantissimo; Patrono, Evergetæ atque studiorum suorum
promotori ad ultimum usque vitæ halitum colendo.*

UT ET

Admodum Reverendo atque Doctissimo,

DN. GEORG. ECKH. CLAUSENIO,

*In eadem Ecclesia Divinorum Oraculorum Interpreti soli-
disimo Patrono ac Fautori suo ætatem colendo.*

Nec minus

V I R I S

Prudentissimis & Spectatissimis,

DN. ANDREÆ SEEBERGEN!

Reip. patriæ Consuli prudentissimo.

DN. JOH. JACOBO MÜLLERO,

Proconsuli honoratissimo.


Reliquisque

**DN. CONSULARIBUS & ORDINIS SENATORII
MEMBRIS meritissimis.**

*Dissertationem hanc in debitæ observantiæ ac grati
animi signum, ac sui suorumque studiorum ulteriorem
promotionem, dicat & offert*

JOH. MÜLLERUS,






DISSERTATIONIS
DE
LEMECHO HOMICIDA

Ejusque
VINDICTA,

§. I.



Ximia quidem & fidei Sanctis traditae conformia sunt illa Chrysofomi verba: Πάντα σαφῆ καὶ εὐθεῖα τὰ παρὰ ταῖς θεαῖς γραφαῖς, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα, Hom. III. in 2. Theff. gemina illis Augustini: *in iis, quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur omnia, quae continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem*, Lib. II. de Doctr. Chr. C. 9. Non tamen minus vera, lectuque dignissima sunt, quae magna illa Ecclesiae lumina de obscuris, hinc inde sparsis, divinarum literarum locis asseruerunt; inserta nimirum divino consilio propterea sacrosancto Dei verbo, ut excussa somnolentia nostra vigiles, ex profundo veritatis & sapientiae thesauro cum labore hauriamus, majoremque inde percipiamus cum jucunditate utilitatem. Ita enim ille: Διὰ γὰρ τὸ καὶ ὁ φιλόνητος Θεὸς ἐκ αὐτόθεν, καὶ ἐκ ψι

A

ἐκ ψι

ἐκ ψιλῆς ἀναγνώσεως πάντα τὰ ἐν ταῖς γραφαῖς κείμενα
 εὐσύνοπτα, καὶ δῆλα ἡμῖν τυγχάνειν συνεχώρισεν, ἵνα τὴν
 νωθεῖαν ἡμῶν διεγείρη, καὶ πολλὴν τὴν ἀγρυπνίαν ἐπιδει-
 ξάμενοι, ἔλω τὴν ἐξ αὐτῶν ὠφέλειαν καρπωσώμεθα. "Εἰωσθε
 γάρ πως τὰ μὲν κατὰ πόνον καὶ ζητήσεως εὐρισκόμενα
 μάλλον ἐπήγνουσθε ἡμῶν τῇ διανοίᾳ· τὰ δὲ μετ' εὐκολίας
 θᾶττον ἀφίπτασθε τῆς καρδίας ἡμετέρας. Hom. XXIII. in
 Cap. XII. Gen. Hic vero, quod obscura quaedam &
 ambigua nonnulla in sacris occurrant literis, non dubi-
 tat divinitus esse, ad edomandam labore superbiam, &
 intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata
 plerumque vilescunt, de Doctr. Chr. Lib. III. cap. 6. *Et,*
in omni, ait, *copia Scripturarum sanctarum pascimur*
apertis, exercemur obscuris: illic fames pellitur, hic fasti-
dium, Serm. XI. in Matth. Quin, quod non in Paulinis
 tantum Epistolis, censente Petro, reperiantur δυσνόητά
 γινᾶ, sed in aliis etiam, maxime Prophetis, libris ob-
 scura Judaeis proposita divinae inservierint providentiae,
 laudatus aureae eloquentiae doctor agnoscens, Opp. Tom.
 III. p. m. 803. καὶ πολλή, inquit, δυσκολία ἐν τῇ παλαιᾷ
 Διαθήκῃ, καὶ δυσεπίληπτα τὰ βιβλία. Fatebitur hoc
 ipsum quisque sedulus & serius sacrarum literarum scruta-
 tor, non vanus sui jactator, haud pauca occurrere in-
 tellectu difficilia, precibus demum ac laboribus, lingua-
 rum sanctarum & rerum antiquarum scrutinio, variarum-
 que demum scientiarum subsidio patentia. Documento
 erit nobis hac vice praesens, quem illustrandum aggredi-
 mur, de *Lemecho homicida ejusque vindicta* Locus. Ipse
 autem Deus O. M. per quem locutus est Spiritum San-
 ctum nos ducat in omnem veritatem!

§. II.

§. II.

Refert fidelis ille in tota Dei domo Servus, Gen.

IV. 23, 24. verba Lamechi ad ambas suas uxores Adah &

Tfillah: שמען קולי נשי למך האונה אמרתו כי איש הרגתי

לפצעו וילד לחברתי: כי שבעתים יקם קין ולמך שבעים

ושבעה: Quae ita reddunt οἱ Ο. Ἀκίστατέ με τῆς φωνῆς γυ-

vāikes λάμεχ, ἐνώμισαδέ με τὲς λόγους· ὅτι ἄνδρα ἀπέκ-

τεινα εἰς τραῦμα ἐμοί, καὶ νεανίσκον εἰς μώλωπα ἐμοί.

Ὅτι ἐπτάκις ἐκδεδίκηται ἐκ Κάιν· ἐκ δὲ λάμεχ ἐβδομηκον-

τάκις ἐπία. Versio Samaritana, interrogative priora

·אֲלֹפּ רַחֲמֵי אֲלֵי nonne virum occidi? posteriora ne-

gative hoc modo: ·אַלֵּי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי

·אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי & non septies vindicabitur Cain

Lamech autem multo magis. Targum Onkelos vero prio-

ra negative לא גברא קטלית דבריליה אנא סבל חובין ואף

לא non occidi vi-

rum ut propter eum ego portem peccatum, neque ado-

lescentulum disperdidi, ut propter eum consumatur semen

meum. Syriaca: ·אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי

·אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי

·אֲלֵי אֲלֵי אֲלֵי quoniam virum

occidi vulneribus meis & puerum allisionibus meis, nam

septuplum rependetur Caino, Lamech vero septuagies &

septies. Æthiopica: አስፎ: ብአሴ: ቀጥልጥ: ወወረዛ:

ብርዕ አገፆ: ብጠፋህጥ:: quia virum occidi in

senectute mea, & adolescentem in complosione mea, reli-

qua eius conveniunt cum Syriaca. Arabica: اتوانبي

قتلت رجلا بشجنتي او صبيا بجراحتي * ان كان


كثيرا نغان بقاين فلامخ اكثر واكثر * nunquid ego

A 2 inter-

interfeci virum per fractionem capitis, aut puerum per vulnus meum. Si multum animadversum est in Cain, in Lamech etiam magis ac magis. V. V. Quoniam occidi Virum in vulnus meum & adolescentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain, Lamech vero septuagies septies. Lutheri: Ich habe einen man erschlagen mir zur wunden, und einen jüngling zur beulen. Cain soll siebenmahl gerochen werden, aber Lamech sieben und siebentzig mahl. Jun Trem. Virum interfecero ad vulnus meum, etiam adolescentem ad tunicem meum. Cum septuplo fit vindicandus Cain, utique Lemec septuagies septies tanto. Gallica: Je tuerai un homme moi estant navré, voire un jeune homme, moi estant meurtri. Car si Cain est vengé sept fois au double, Lemec le sera septante sept fois. Batava Dordrace-na: Vorwaer ick slaege wel eenen man doot, om myne wonde, ende eenen jongelingh om myne buyle. Want Kain fal sevenvoudigh gewroken worden, maer Lamech seventigh mael seven mael. Anglicana: For j have slain a man to my wounding, and a young man to my hurt. If Cain shal be avenged sevenfold, truly Lamech seventy and sevenfold. Plures addere five Orientales five Occidentales versiones lubens omitto, quoniam ex his, quam diverso Lamechi verba sensu capiantur, satis superque patet.

§. III.

Jure igitur meritoque Drusius, in suis ad haec verba annotationibus, ait: Locus difficilis, si quis alius in hoc libro, quam varie interpretantur. Et Glossatores Angli: *The words are very difficult, both to translate, and*



and to expound. Verissime profecto, adeo ut multi heic filere, vel aliorum sententiam referre, quam suam exponere, tutius putaverint. Nec mirum. Phrasis dubia, oratio Laconica. Hinc unus affirmative, alter negative, tertius conditionate; plerique in pejorem, nonnulli in mitiorem sensum eadem verba transferunt. Sunt, qui *vulnus & livorem* non ad corpus, sed ad animum referunt. Aliqui *virum & puerum* pro uno eodemque habent, reliqui pro diverso, subjecto. Quidam ultionem vel poenam Caino & Lemecho infligendam putant, alii eorum interfectores. Sed neque in numeris explicandis conveniunt. Usque adeo disputant, qua mente heic Lamech locutus videatur, quove scopo Moses Lemechi ad uxores orationem ad aeternam rei gestae memoriam in sacras tabulas retulerit? Quare nos id negotii nobis datum opinamur, ut ante omnia quanta poterimus diligentia in propriam verborum significationem inquiremus, & inde demum genuinum eorundem sensum atque scopum eliceamus.

§. IV.

Duos equidem, in historia antediluviana, Lemechi nomine celebres, *συγχρόνως*, sed bene distinguendos, facer Scriptor commemorat. Alterum Methuschelachi, e Sethi posteris, longaevitate maximi, filium, Gen. V. 25. Alterum vero hunc, de quo agimus, Methuschaelis filium Caini Atnepotem, *ibid.* ψ. 17. ff. Ille Noachum genuit, Gen. V. 29. hic Jabalem, Jubalem, & Tubalcainum, Gen. IV. 20, 21. utrumque tamen למך Lamech, quasi מלך *Regem*, metathesi quadam, Moses appellat. Ambos enim fuisse אנשי השם *jam olim viros magni*

nominis, Mosi gravibus de causis memorandos, vix cuiquam potest esse dubium, cum concors id ipsum Hebraeorum sententia, ipsaque probet litera. Illum Prophetam, instauratoris mundi Noachi, & residui totius humani generis, Parentem; hunc, vel ipsa duos interficiendi sive potentia sive potestate aliis praestantiorum; & Digamiam, duabus, Adah & Tfillah, ista ab *ornatu*, quod splendide vestita incesserit, hac ita, quod ut *umbra* corpus, continua maritum consuetudine, secuta sit, dicta, uxoribus, & quidem contra acceptum a Majoribus morem ductis, sua auctoritate introduxisse, novimus. Hunc enim primum polygamiae auctorem extitisse, legitur etiam in *Schalschelet hakkabala* הוא היה ראשון להחיות ב' נשים א' לפריה ורביה והיתה יושבת נזופה ואכלה כאלמנה וא' ליופי והיה משקה אותה כוס של עקרין שלא תלד: *primus ille duas duxit uxores, unam quidem ad procreandam sobolem, quae sedebat contenta quasi lugens vidua, alteram ad ornatum, quam potu sterilem reddiderat ne pareret, instar sponsae ornavit, & in deliciis habuit*; Sed observa, falli hujus libri auctorem R. Gedalja, non in eo solum, quod alteram uxorum sterilem dixerit, cum utramque peperisse Moses testetur, sed & quod hunc Lemechum Noachi Patrem asseruerit, l.c. p. 2. quem tamen posteriorem errorem secure exscripsit R. David Ganz, in *Zemach David*, ad an. 874.

§. V.

Hic itaque Lemechus, Methuschaelis filius, ambas quas duxerat uxores gravi praeloquio, gemina phrasi, ad verborum suorum attentam auscultationem exhortans, dicit

dicit קולי נשוי למך האונה אמרתי *audite vocem meam uxores Lemechi, auribus percipite eloquium meum.* Masora ad vocem שמען notat לית וחד וכל כ"ו כן כ"ו דת' unam esse ex 26. in hoc significato ἀπαξ λεγομένοις: verum confer Masor. magn. fin. & Concord. Hebr. Buxtorfianas, σφάλμα facile deteges. Est autem & hujus forma vocis anomala, omnino ex rarissimis שמען, cum Patach Furtivo sub penult. loco (י) & (ו) sub (ן), abjecta insuper (ה) ex ונה, uti תלשן 2. Sam. XIII. 18. quae ex ipsis Linguae fundamentis nota sunt. Occurrit tamen & forma perfecta, Jes. XXXII. 9. *faeminae tranquillae surgite, שמען audite vocem meam filiae confidentes, auribus percipite sermonem meum; & Jerem. IX. 19. שמען audite mulieres verbum Domini, & accipiat auris vestra verbum oris ipsius & docete filias vestras; ῥήμασι παραλλήλοις.* Frivolum ergo est Doctiff. Lud. Cappelli commentum, ex diversis ejusmodi Verbi, Temporis, Personaeve formis, hic ἀναλόγως, illic ἀνομάλως scriptis, dubiam & de errore suspectam fieri lectionem, ortam a Scribarum incuria, incogitantia, ignorantia, aliquando ab eorundem temeritate & audacia; denique ut plurimum, ac fere semper, ab humana ἀδιαβλήτω infirmitate: scilicet ex hypothesi, emendandam esse illam Lectionem, si alia demonstretur, sive in Consonantibus, sive Vocalibus magis analogis, vel antiquarum versionum fidei conformior, vid. Crit. S. Lib. I. 1, 2. ff. Quasi nullas Dei providentia pro verbi sui integritate excubias egisset, nec majori ducerentur religione erga Θεοπνεύσων Literarum ἀυθεντίαν, quibuscunque veritas salutaris curae cordique est; quam erga profanos Scriptores, mutando, transponendo,

nendo, addendo, expungendo, ubique censoria virga notando, Viri *κρίσιματάτοι*. Quasi, inquam, non sint genuinae in omnibus, quas nosse datum est, Linguis formae anomalae, synonymae, ipsis Scriptoribus authenticis propriae; aut puritas limpidissimis Verbi Divini fontibus denegata, e turbide fluentibus versionum rivulis petenda veniat. Cetera prologi Lemechici nullam videntur habere difficultatem.

§. VI.

Sequitur ipsa Lemechi ad uxores suas oratio, *כי איש הרגתי לפצעי וילד להבררתי כי שבעתיים יקם קין*: quae, quoniam, ut §. II. vidimus, dubiae expositionis, curatius nunc expendenda. Errandi ansam nonnullis dedit in fronte posita *כי* particula, conditionaliter accepta, juxta Noldium triginta amplius diversos ferens significatus. Sed majorem sibi meruisset Vir diligentissimus apud Philologos omnes laudem, si tam in subducendis quam multiplicandis particularum significationibus, Guffetiana methodo, suam collocasset operam: si quidem non Latinorum superfluum variandi sermonis copiam, sed simplicem Hebraici styli elegantiam, explicandi animus erat. Causam sane vel rationem rei dicendae haec vocula notabit, quomodocunque reddatur; si aliter, Ellipsis aliqua locum habebit, e scopo dicentis facilius judicanda. Sed heic *כי* bis ponitur, ob geminam, attentionis nimirum captandae & expositae confessionis, rationem. *Quia, inquit, virum occidi-----, quia vindicabitur Lamech---*. Ita sensus particulae primarius erit manifestus, a quo sine urgente necessitate non esse recedendum, norunt Hermeneutae. Patebit insuper, quomodo

modo conciliandi cum textu Hebraeo sint antiquissimi Interpretum Samaritanus, Onkelos, & Arabs, non simplicem negationem, sed cum interrogatione sive expressa sive subintelligenda junctam, adhibentes; contrarium oppido sensum parientem; ita Cain dicens: *אני אחי קין* *an* *custos fratris sum*, negative vult intelligi. Et vicissim subaudiendam aliquando interrogationem ex affirmante negantem reddere propositionem fatebitur, conferens Mich. V. 1. *והיה כחלום* cum Matth. 11. 6. *καὶ σὺ βηθλεὲμ γῆ ἰσδα*, *εἰς ἅμαρτος ἐλαχίστη* *εἰ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν ἰσδα*, plura vide hujusmodi exempla in Dissert. nostra *De Risu Abrahami*. sed Onkeloso aliisque veterum tales, manente sensu eodem, propositionum inversiones ac permutationes fuisse solemnes, ex infinitis aliis, & proximis loco nostro, exemplis constat. Nihil itaque hic omissum, nihil redundans, oratio directa & affirmans est, non simpliciter interrogativa, minus negativa. Quod si observaverimus, sequentia non tantam habebunt, quantam quidem initio habere videbantur, difficultatem. Certum enim, & ipso fatente Noldio, minimas ejusmodi particulas, vincula esse, & quasi nervos textus, sine quibus nunquam sententia percipi possit: hae sunt orationis condimentum, uti Bertramus, & *מלות טעם* *dictiones gustum moventes*, aut *saporem conciliantes*, uti R. Kimchi loquitur in *Michlol*.

§. VII.

Excipit *הרג* *occidi*. R. Mard. Nathan, *הרג* inquit, *כל לשון הרגה* *ubique habet significatum occidendi*; sed generalius actum quidem occisionis, non vero modum declarans, includens autem, notante P. Aquinate, sequentia

B

קטל

שחט קטל רצח חלל חנק - שחט *interficere, interimere, perfodere, strangulare, mactare.* Tempus vero necis Lemech Praeteritum determinans, הרגתי, ait, *interfeci.* Non quidem negamus, sub ista Praeteriti forma Praesens & Futurum, tum Indicativi tum Subjunctivi, ut loquuntur Modi, quos distinctae terminationis Hebraea lingua non agnoscit, aliquando significari, sed tum demum, quando id aliqua flagitat necessitas, qualis hic nulla est; unde recte οἱ Ὀ. ἀπέκτευνα, V. V. *occidi.*

§. VIII.

Quos interfecerit Lemech, exponit ipse איש וילד *virum, inquit, & puerum.* Patet undique multifariam haec accipi: איש, de vario hujus nominis usu vid. Guffet. in Com. L E. Heic tantum notamus quod ad discrimen sexus etiam אשה *fœmina* dicatur; quandoque tamen אינן indeterminate *quemcunque* utriusque sexus hominem denotet; sed quemadmodum *marem & masculum* sine aetatis respectu, ita איש, uti גבר, saltem ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *virum*, ex ephelis egressum, אשר יחל להלחם *qui possit pugnare* Judic. X. 18. ad decrepitam usque senectam, denotat; nec obstant loca Gen. IV. 1. & Es. LXVI. 13. cum priori *vir* spes, posteriori vero *unusquisque* indefinite intelligatur. ילד autem praeter infantes masculos, etiam *pueri, juvenes*, ad aetatem usque virilem in aula versantes, Exod. II. 3, 10. 1. Reg. XII. 8. nominantur. Unde fluit, non posse duo ista nomina איש וילד *vir & puer* de uno eodemque homine, cujus solius Lemech meminerit, per Appositionem, uti loquuntur, intelligi: quam tamen sententiam foverunt ex antiquioribus Theodoretus, ex recentioribus vero Seb. Castalio, alique: sed duos ianui,

acta-

aetate diversos, non propriis quidem nominibus, sed epithetis tamen suis aliisque circumstantiis clare satis distinctos.

§. IX.

Accedit, quod duplicem proferat Lemechus, abominandi facinoris causam, de viro, inquit, לפצעו *ob vulnus meum*, de puero לחברתי *ob tumorem meum*. Sed diversa haec sunt: פצע *vulnus apertum*, ex violenta partium laesarum fissione ortum, Raschi ad h.l. פצע מכה hoc est, פצע *plaga est gladio aut sagitta inflicta, macadure in lingua vernacula*, & idem ad Job. IX. 17. ait: מכה המוציאה דם חכורה היא פצע *plaga emittens sanguinem & humorem*, מכה שהדם נצרך בה ואינו יוצא אלא שמאדים הנשר כנגדו חכורה, hoc est, ולשון חכורה טקי בליעו כמו נמר חכורותיו: *significat percussione in qua sanguis colligitur, nec egreditur, sed rubedinem quasi sanguinis inducit, idemque denotat, quod in vernacula tache, unde & pardi liventes maculae nomen acceperunt.* Praefixum autem ל causam vel occasionem commissae caedis notare, ex genuina טעם ל notione mihi perspectissimum est. Accipitur enim ל pro לרע & לרע, ex quibus illa est decerpta litera: nulum proprie, quales Latinorum sunt, Casum postulans, Hebraeorum Verbis inservit, unam vel alteram harum vocularum, pro loquentis intentione, requirentibus. Ex לרע sumtum ל, tendentiam ad locum, tempus, personam, rem, &c. significat; ex לרע autem, causam, occasionem, auctorem, possessionem, habitum, situm, similesque circumstantias denotat, quas ipsum לרע admittere potest. Quibus positis, attendenti facile patebit

ל h. l. non ex לֹא sed לְּ non per in vel ad; sed ob vel propter exponendum esse, quasi dicat, ob vulnus & tumorem in corpore meo existens, aggredienti illos mihi inflicto, consentientibus Genevensi. Guffetio, aliis.

§. X.

His de gemina caede dictis, succedit ejusdem vindicta, sequentibus hisce, וְשָׁנְאָה וְשָׁנְאָה וְשָׁנְאָה וְשָׁנְאָה verbis complexa, τοῖς ο. Ὅτι ἐπὶ τῶν ἐκ δεδίκηται ἐκ Κάιν' ἐκ δὲ Λάμεχ ἐβδομηκοντάκις ἑπτὰ. Verbum וְשָׁנְאָה, quod heic in Passiva auēta forma, uti loquitur Kimchi, hoc est in Hophal, cernimus, Latinorum vindicare satis exacte reddit, & punire, castigare, ulcisci, quin & vindicare ab interitu, molestia, & supplicio, significat: Passive igitur vindicari denotat, ita tamen ut in Niphal tantum vindicta pro aliquo, in Hophal autem etiam contra aliquem instituenda significetur. Loca dabit Buxt. in Concord. H. ubi tamen pro Hophal per errorem Pyhal scriptum esse, monemus. Deus וְשָׁנְאָה וְשָׁנְאָה ultor & vindex est, sibi soli vindictam asserens Ec. L. 15. & alibi saepe; sed וְשָׁנְאָה וְשָׁנְאָה vindicabitur Cain, hoc est liberabitur à supplicio, & dabit seu luet poenam וְשָׁנְאָה וְשָׁנְאָה omnis interficiens Cainum, siquidem posito signo immunitas afferta Caino, Gen. IV. 15. Ergo & וְשָׁנְאָה וְשָׁנְאָה vindicabitur Cain & Lamech, eodem, quo superius, sensu, id est vis Caino, & sic etiam Lamecho, illata punietur, eorum vindictam vindicabit Deus, qui Dominus vindictarum est, Ps. XCIV. 1. Quod si attendissent Interpretes & Critici, tam ex antiquioribus quam recentioribus, Hebraei & Christiani non usque adeo aberrassent a scopo, ulterius demonstrando in sequentibus.

§. IX.

Novum nostrae, modo expositae, sententiae ro-
bur accedit, ex ipsa vindictae multiplicatione, Caino in
simplici caede deprehenso ψ . 15. promissa, heic vero
 ψ . 24. repetita, & Lemecho, ejusdem, sed iterati, criminis
reo, speranda multo major. Quae hic de Caino recur-
rit vox שבעתים, legitur etiam Ps. XII. 7. מוקק שבעתים
& LXXIX. 12. ונמצא השב לשכננו שבעתים Prov. VI. 31. ונמצא
ואור ההמה יהיה שבעתים & Jes. XXX. 26. ישלם שבעתים
ubique per *septies* exponi solita: citantur in eundem sen-
sum ista apud Matth. XVIII. 22. δ λέγω σοι ἕως ἑπτά-
κισ, ἀλλ' ἕως ἑβδομηκοντάκισ ἑπτά. Nec dissentit universa
Hebraeorum turba; Ab. Ezras in Comment. ad h. loc.
non significat, inquit, haec vox quatuordecim, sed neque trecenta
quadraginta tria (cubum septenarii,) sed septem genera-
tiones, ita enim ille mentem suam in antecedentibus de-
clarat, ita reliqui mihi haecenus visi omnes. Verum enim
vero, quod pace omnium Hebraice peritorum dictum
volo: mihi non ita videtur. Quare enim aliam & for-
ma variantem vocem de Caino bis, de Lemecho non
item, adhibuisset Moses, nisi aliud quid quam *septies*
innuere voluisset. Quae istius est diversitatis ratio? Nul-
la fane alia, quam quod per שבעתים Dualis Numeri
notio designaretur. Quemadmodum enim שבע & שבעה
septem atque *septies*, בשם יחיד in Singularium seu uni-
tatum, & שבעים *septuaginta* vel *septuagies* בשם רבוי
in Plur. seu multitudinis Numero dicitur; & illud *septem*
μονάδας, hoc vero *septem* *δεκάδας* denotat: ita שבעתים
totidem *δωάδας*, hoc est numerum *septenarium geminum*,

bis sumtum, seu duplicatum ἀναλόγως, & commodissime, significabit. Idque ἐμφατικώτατος. Quod si enim, ut recte observat R. David Kimchi in libro Scharaschim, דרך המקרא נזכר שבע ושבעה לחשבון רב לפי ימי העולמות *mos scripturae est, septenarium pro numero multo adhibere, eo quod omnes dies seculi septimanae sunt;* resque manifesta est ex Lev. XXVI. 21. ויספתי עליכם כהטאתיכם *septupla clade scelera vestra prosequar,* Prov. XXIV. 16. וקם ופול צדיק וקם *septies labitur justus & surgit,* aliisque sim. Quanto magis multitudinem indeterminatam cum emphasi notabit שבעתיים *septuplum duplum,* in locis, ubi id occurrit, superius citatis, ad unum omnibus. Nec obstat phrasis apud Matth. loc. cit. ἐπὶ ἑβδομηκοντάκις ἐπὶ ἑπτά. Siquidem Christum Dominum nostrum Syriaca Dialecto, ut vernacula, quae Duali destituitur, usum esse novimus; idioma vero ejus Syrus Interpres antiquus, quem Marcum Evangelistam esse putant Veteres, retinuit, & per שבعة *septem, septies* exposuit, unde id Matthaeus recte ἐπὶ ἑβδομηκοντάκις reddidit. Ne dicam, haud insolens esse Scriptoribus N. T. in iis quae ex Veteri citantur, dictionem τῶν ο. illo tempore omnium fere consensione receptam, imitari. Aben Ezram, & quotquot ei suffragantur, Judaeos non moramur; ut falsa tantummodo hypothese de שבעה דרין *septem generationibus* in diversum raptos. Sed iis omnibus opponimus summi in Hebraicis Literis Viri, Jo. Buxtorfii sententiam, in Concord. Hebr. שבעתיים *bis septem* exponentis: nec non Interpretis Gallici: Si Cain est vengé *sept fois au double,* Lemec le sera septante sept fois. Adeoque verba ad ἀκριβείαν Hebraicam reddenda:

Quia

*Quia vindicabitur Cain bis-septies, (hoc est multoties;)
Lemec septuagies & septies, (id est adhuc multo magis.)*

§. XII.

Haecenus de propria vocum significatione; de sensu ac scopo totius orationis Lemechi adhuc agendum restat. Hebraei in tres potiores abeunt sententias. Prima traditur in *Bereschit Rabba*, h. m. לא הרג למך כלום ונשיו פורשות ממנו משקיומו פריה ורביה לפי שנגזרה גזרה לכלות זרעו של קין לאחר שבעה דורות אמרו מה אנו יולדות לנטלה למחר המבול בא ושוטף את הכל והוא אומר להן כי איש הרגתי לפצעו וכי אני הרגתי את הכל שהוא איש בקומה וילד בשנים שיהיה זרעי בלה באותו עון ומה קין שהרג נתלו לו שבעה דורת אני שלא הרגתי לא כל שכן שיתלו ר' non interfecisse Lemechum quempiam, sed uxores ejus, postquam liberos quosdam jam peperissent, separasse semetipsas ab illo: quia divinitus decretum erat, periturum Caini genus post septem aetates. Dixisse igitur: quare nos frustra pariemus? imminente prope diem diluvio, omnia submersuro; Ad quae respondit ipse, quod si virum interfecissem ad vulnus meum, aut Abelem interfecissem statuta virum sed annis puerum, e medio auferendi essent eadem poena posteris mei. Sed quid Caino evenit fratricidae? Dilata est ejus poena ad septimam aetatem; mihi ergo, qui non occidi, an non multo magis differretur in עולדות generationum multas? Altera est, quam proponit R. Schelomo Jizchak: שהיו נשיו פורשות ממנו מחשמיש לפי שהרג את קין וארת תוכלקין בנו שהיה למך סוסא ותובל קין משכו וראה את קין ונדם לו כחיה ואמר לאכיו למשוך בקש' והרגו וכיון שידע שהוא קין זקנו הכה כף אל כף ופפק את בנו ביניה' והרגו והיו נשיו פורשות והוא מפיסן שמען

שמען קולי להשמע לו לתשמוש וכי איש הרגתי לפצעו הוא נהרג
 וכי אני פצעתי מויד שיהיה הפצע הקרוי על שמו וילד אשר
 הרגתי לחברתי נהרג כלומר על ידי חברתי בתמיה והלא שונג
Divortium urge-
bant uxores Lemechi, quod hic interfecisset Cainum, fi-
liumque suum Tubalcainum: quum enim Lemechus caecus
a Tubalcaino duceretur, huic visus est Cainus instar ani-
malis, unde dixit Patri suo, ut tendat arcum: quo facto
occidit eum. Postquam vero cognovisset ipsum fuisse Cai-
num tritavum suum, complodens manus prehensum inter
eas filium occidit. Hac de causa separaturas sese uxores
placaturus, audite, inquit, vocem meam, ut matrimonij
mihî morem geratis. An propterea, quod virum inter-
fecerim, in vulnus meum occisus est? Et, an propterea
quod vulnerarim eum, hoccine de industria feci: ut me
vulnus gestare dicatur. Et puer, quem occidi, anne in
livorem meum occisus est? quasi diceret, ut mihî sit livor?
Haec cum admiratione. Et annon per errorem hoc fe-
ci sine superbia? Hoc igitur non erit mihî vulnus aut vibex.
 Tertiam denique ab his plane diversam nobis exhibet
 sententiam, R. Bechai in Comment. in Pent. הַבֵּי
 לַמֶּךְ הַחֶרֶב וְהַרְצִיחָה בַעוֹלָם וּמַעֲשֵׂה אֲבוֹת יַעֲשׂוּ בְנֵי
 כִּי הוּא בְּנוֹ שֶׁל קֵין הַרוּצַח הַרְאֵשׁוֹן וְהוֹלִיד שְׁלֹשָׁה בְנֵי הַבֵּן
 הַבְּכוֹר לְמִדְהוֹ עֵינֵין הַסְרַעָה כְּפִי שְׁבַעֵי הַבְּהֵמוֹת הַבֵּן הַשֵּׁנִי לְמִדְהוֹ
 חֲכָמַת הַנְּגוֹן הַבֵּן הַשְּׁלִישִׁי לְמִדְהוֹ כְּלוֹ הַמְּלַחְמָה בַּחֲרָבוֹת וּבְרַמְחִים
 יִלְטוּשׁ נַחֲשֵׁת וְהַנְּשִׁים שֶׁלוֹ הָיוּ מִתְּפַחְדוֹת מִמֶּנּוּ שֶׁלֹּא יוֹמְרֵת
 בַּעֲוֹנֵשׁ חַטָּאוֹ לְפִי שֶׁהֵבִיא הַרְצִיחָה בַּעוֹלָם וְעַל כֵּן הִיָּה אוֹמֵר
 לְהֵן וְכִי אִישׁ חֲרַגְתִּי לְפַצְעִי אוֹ יֶלֶד לְחֲבֵרְתִּי שֶׁעֲשִׂרְתִּי כִּי כִּסֵּי
 שֶׁעֲשֵׂה קֵין וְכוֹנֵת לוֹמֵר כִּי הָאָדָם יִכּוֹל לְהַרְגֵן בְּלֹא חֶרֶב וְאֵין
 הַחֶרֶב סִבַּת הַרְצִיחָה וְאֵף עַל פִּי שֶׁהוּא הוֹצִיא בַּעוֹלָם אוֹמְנוֹתוֹ
 אֵין

אין עליו עונש בזה כי אפשר להמית במיחה קשה מן החרב:
Invexit Lemech gladium atque caedes in mundum. Pa-
trum autem exempla imitantur filii, ipse erat filius Caini
primi homicidae, genuitque tres filios. Maximum natu-
docuit rem pascuariam pro diversa animalium natura;
alterum scientiam Musicam; tertium vero arma bellica,
gladios, lanceas, & aeris poliendi peritiam. Uxores au-
tem ejus metuebant de eo, ne moriatur in poena peccati sui,
eo quod instrumenta caedis in mundum invexerat. Qua-
propter ipse eas alloquitur: quum virum interfecero in
vulnus meum, aut puerum in livorem meum, cum idem
commisero quod Cain: mens autem & intentio ejus est, ac si di-
ceret, hominem posse etiam occidi sine gladio, nec gladium
caedis causam esse: quamvis igitur artificium quoddam in
mundum introduxerit, se propterea non esse puniendum,
siquidem dentur alia mortis genera, ipso gladio graviora.
 Alias veteris Synagogae sententias, vix circumstantiis
 quibusd. ab his differentes, prolixius adducere, operae
 pretium non duximus.

§. XIII.

Ad triplicem igitur istam Judaeorum expositionem
 haec saltem notamus: nullam earum ejus esse indolis,
 quae Mosen Scriptorem θεόπνευστον deceat: antiquiores
 heic requiri testes, ad ejusmodi traditionem homini, cui
 mens non laeva est, persuadendam: repugnare literalī &
 propriae, quam dedimus, vocum significationi: non dubia
 modo sed & manifesto falsa tradere, v. gr. de Caino sene,
 non in urbe Henochia, sed in sylvis post carecta latuisse,
 de diluvio ad septimam generationem adstricto, dilatio-
 ne tantum poenae Caino tandem infligendae facta: de
 Lemecho, caeco, jaculante, & eminus, hominem a bestia
 non-

C

nondum discernente filio, feriente & occidente: de Tubalcaino in pueritia, & per errorem, a Patre occiso, artis tamen aes ac ferrum tractandi inventore: quae absona & ἀσύνταξα esse, nemo non, parumper attendens, facile perspiciet. Nihilo tamen minus Christiani Interpretes & Critici, prout quisque, in re obscura optime se conijcere putavit, uni fere alterive sententiarum istarum ita accessit, ut traditiones istas fabulosas vel retinuerit, vel mutaverit tantum, vel, quod Optimorum fuit, plane resecurit. *Primam* varie politam reddiderunt, qui Lamechum quasi tyrannum sibi ob oculos ponunt, non occidisse quidem, sed mortem cuique, vel levissime vulneranti, adeoque sub conditione, minatum fuisse censent, uti Santes Pagninus, Munsterus, Drusius, Tremellius, Sebastianus Castalio, Coccejus, Heideggerus, alii. *Alteram*, de Viro Caino & puero Tubalcaino interfectis, adoptarunt Hieronymus, & ex eo Rabanus, Lyranus, Tostatus, Cajetanus, Lipomannus, Pererius, Delrio; quadantenus etiam Suidas, &c. *Tertia* Bechay opinio perpauca probata reperitur, eo quod aperte nimis contradicit Mosi, non Lamechum sed Tubalcainum artis fabrilis inventorem asserenti, Gen. IV. 22. §. XIV.

Haec si perpendas, Lector, graves dissensus nostris rationes facile animadvertes. Quid igitur? Praemissa genuinae vocum expositionis demonstratione, hanc me profiteor fovere sententiam: Lamechum ex impiorum Cainitarum profapia oriundum, impia eorum vestigia non secutum modo, sed etiam truculentia & ἀσελγεία, gemino homicidio, & Polygamia instituta, longe supergressum esse; conscientiae vero stimulis agitatum, facti tandem poenituisse: uxoribus, de vita aut fide mariti sollicitis,

citis, hanc solatii plenam peccati gravissimi, geminae caedis, non sine proprio vitae periculo, accepto vulnere atque tumore patratae, confessionem ultro edidisse: suamque in Dei Creatoris & Conservatoris, ipsi etiam Caino fratricidae securitatem, ac vindictam pro ejus incolumitate bis-septenam, spondentis benignitate, spem ac fiduciam ita posuisse, ut persuasus inde sit, redundante peccato redundaturam adhuc magis gratiam: dataque Caino unius caedis reo venia, ac vindicta contra aggressores intentata bis-septupla, ne occideret eum quisque inveniens; se qui duplex commiserit homicidium sperare ut vindicetur, ac contra hominum injurias protegatur, septuagies & septies, hoc est, saepissime, ac, sicubi res postulat, semper & ubique.

§. XV.

Est itaque μέγα τὸ εἰρημένον καὶ σφόδρα μέγα καὶ πολλή τῶ ἀνδρῶν ἡ εὐγνωμοσύνη magnum quid dictum, & valde magnum, multaeque probitatis viri sententia, ut recte asserit Chrysostomus, huc referens ex Prov. XVIII. 17. κατὰ τὴν Ο. Δίκαιος ἑαυτῶ κατήγορος ἐν πρῶτολογίᾳ· μέγιστον γάρ ἐστιν εἰς διόρθωσιν τῶν ἡμαρτημένων ἡ ὁμολογία. Non enim negat, uti Cain, sed confitetur Lamech peccata sua, &, uti fas est credere, in posterum abstinet, misericordiam impetraturus, Prov. XXVIII. 13. Quantum sit positum in peccati confessione momentum vel inde patet, quod, uti neganti negatur, ita non nisi agnoscenti & confitenti datur remissio & absolutio, Pf. XXXII. 3, 4, 5. includit enim genuina confessio Divinae agnitionem justitiae, humanae conscientiam miseriae, promissae fiduciam gratiae, obtinendi spem auxilii, totumque fidei, conversionis, resipiscentiae & salutis negotium, Matth.

III. 6. Rom. X. 9, 10. 1 Joh. I. 9. Unde & venerabilis Beda, docet, *Lemechi peccatum sanguinis Christi effusione solutum esse, eoque sensu, ex verbis Christi ad Petrum, remittendum esse fratri, h. e. Judaco revertenti, prout remissum legitur Lemecho, non solum septies sed septuagies & septies, si poenituerit.* Quaest. sup. Genes. Conf. Fagius in Col. Transl. V. T. & Annot. ad h. l. uti etiam Glossatores Anglos ad locum eund,

§. XVI,

Hunc orationis Lemechi ad uxores sensum suadent & persuadent omnia: vocum significatio frequentior, sententia Deum & Lemechum decens, scopus Moysi in exhibendo novo Divinae gratiae ac misericordiae specimine, erga hominem peccatorem gravissimum, e perditissimo ac diris jam devoto genere humano salvandum, convenientissimus; porro gravis exordii formula, synonymis ferme phrasibus, ad rei dicendae pondus significandum iterata, similis Prophetis istis ex Jes. XXXII 9. & Jerem. IX. 19. superius §. V. citatis, non de rebus exigui momenti, vana mariti praesumptione, uxorumve rixis, heic agi satis declarans. Fuerit Lemechus ex impii Caini familia, & ipse peccator atrocissimus, quid tum? habuit utique Deus ex omni gente, quorum miseratus est, uti sub Lege, ita ante & post Legem datam & abrogatam: plura occurrunt Dei timentium virorum illustria exempla, inter ipsos saepe infideles latentia; & impensius gaudere coelestes de peccatore uno respiciente, quam de nonaginta novem justis, resipiscentiam non requiruntibus, nos docuit summus Veritatis Doctor Christus. Deficientibus igitur a pristina fide & bonis operibus Sethitis, quid ni gratia sua reficiat Deus aliquem e Cainitica turba peccatorum suorum confessorem. Excipiant, non de patrato homicidio, minus gemino, esse sermonem, cum nulli nominibus indicentur propriis interfecti. Sed Lectorem, non censorem, S. literarum te, quicumque hoc objicis, esse scias, ut quae in illis sunt discas, non ut, quae non sunt, posescas. Plures genuisse ante diluviū Patriarchas filios & filias, quorum nomina propria reticentur, videmus Gen. V. 4. ff. Quis negabit Mosen interfecisse Aegyptium, eo quod nomen hujus non sit expresse additum, Exod. II. 12. Alias alicujus momenti difficultates nobis movendas haecenus non video.

ΜΟΝΟΙ ΤΩΙ ΘΕΩΙ Η ΔΟΞΑ.

CO.

✿ ○ ✿

COROLLARIA RESPONDENTIS.

Adamm protoplastum praeter Evam כלה אִם matrem omnium viventium, aliam adhuc habuisse uxorem לילית Lilith, vel Lilis, dictam, Judaeorum fabula est omnium absurdissima.

II. Eundem quamvis ante & post annum aetatis CXXX. plures habuisse filios & filias facile largiamur, unum tamen inter illos fuisse עבדל הארת Abdolharet dictum, negamus.

III. Mosén cornutum pinxisse defendi non potest, nisi Flacciano isto:

Pictoribus atque Poëtis

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

IV. Quamvis unicus Divina Lege institutus sit כהן גדול Sacerdos summus, plures tamen aetate Christi Ἀρχιερεῖς, ejusdem & subordinati muneris, Primarios Sacerdotes fuisse, defendimus; sed סגן Saganem, Vicarium Pontificis, humana quidem auctoritate, convenienter tamen Legi Mosaicae, surrogatum fuisse existimamus.

VI. Judaeorum תפילין, μνημόσυνα ἐκκλησιαστικῆς, duplicia, של ראש capitis & של יד manus, lora precantibus alligari solita, φυλακτήρια Matth. XXIII. 5. ut & ציציות peniculamenta, s. simbrinae, aut filia contorta, extremitatibus vestium innexa, lege Mosaica praescripta, & ab ipso benedicto Sospitatore nostro gestata, statuimus.

IN studiis quanquam labor est niger atque molestus,
Inde tamen veniunt uberrima germina florum.

Haec Tu perpendens Tecum, *Suavisime Amice,*

Acriter invigilas studiis, sudasque sub illis.

Res loquitur, praesensque probat conatus id ipsum,

Scandere dum tentas cathedram, dictique Lemechi,

Quod doctos vexat, sensum defendere tentas.

Sic pergas constans, sic perge labore tenaci,

Et juga Parnassi submittent te Tibi cella.


Hinc Tibi fausta precor; Numen bona caepa secundet.

*Gratulatrices hasce voces in Ornatissimi Dn. Respondentis
sinum effundebat*

CHRISTOPHORUS LOY.

SS. Th. Cand.

Des



Es Suchens ist zwar viel/ das Forschen hat kein Ende/
Doch bleibt auch das gewiß: Man suchet selten Recht.
Dem Einen gilt es gleich/ wozu er sich nur wende/
Dem Andern aber scheint das Beste viel zu schlecht.
Der martert seinen Geist mit abgeschmackten Grillen/
Da liegt ein ganzes Schock Pedanten bey der Hand;
Dem soll ein Liebs-Gedicht den geilen Hunger stillen?
Bey jenem wird die Zeit zu Possen angewand.
Doch solls gesucht seyn! O höchst-verkehrtes Wesen!
Wer aber sucht dann recht? Welch ist das Beste Buch/
Das ein Studirender am meinsten solle lesen;
Dieß lehrt der Heyland dort/ mit dem recht güldnen Spruch:
Sucht/ forschet in der Schrift/ Sie ist/ die von mir zeigt/
Sie ist der rechte Brunn/ wo Lebens-Wasser quillt.
Wohl dem! wer seinen Sinn im Suchen darzu neiget!
Der wird mit Glaubens-Trost/ und reichem Guth erfüllt.
Dieß hat Er Werther Freund! für andern wohl erkennet/
Es zeigt diese Schrift von seinem muntren Fleiß/
Daß auch das Schwehrste J. H. N. nicht von dem Suchen trennet;
Drum bringt das Finden nun den schönen Ehren-Preis.
Ich wünsche Glück darzu! Gott gebe ferner Segen/
Und stehe seinem Fleiß mit Krafft und Hülffe bey!
So wird Er aller Welt gang klar für Augen legen;
Daß solches Wasser nur auf seine Mühle sey.

Dieses schrieb seinem Wertheften Freund zu Ehren
mit eilender Feder

J. C. ENGELSCHALL,
Sacr. & Hum. Litt. Cult.

Coll. diss. A. 108, misc. 37